

PHILIPPVS ABBAS GENGENBACENSIS.



Philippus ex nobili familia de Eselsperg natus à teneris annis bonis literis operã dedit, & in his egregiè profecit. Is cum adoleuisset, celeberrimum Gengenbacense monasterium ordinis Benedictinorum accessit, & eius loci fratribus sese continxit. Ibi cum eruditione & prudentia reliquos superaret, anno 1507 eius loci abbas omnium uotis electus est. Erat Philippus ob multas animi & corporis uirtutes Maximiliano Cæsari gratissimus. Itaque bis ipsum in monasterio inuisit, & aliquandiu ibi permansit. Statuerat Philippus ex suo monasterio, aliorum quorũdam exemplo inuitatus, Canonicorum collegium instituere. ideoque magnis sum-

ptibus ter Romanam urbem accessit, atque Guilhelmo Fürstẽbergico eius cœnobij aduocato resistente, id impetrare haud potuit. Nihilominus tamẽ eum locum, Philippus multis ædificijs exornauit, atque in primis ut literis iuuentus operam daret, instituit. Cum hoc modo per 24. annos præfuisset, tãdem senex